13.

HISTORIAM SAXONIAE A. FRANCIS. SVBIVGATAE REGNANTE. CAROLO. M.

RECENSET

EAMQVE

AMPLISSIMO. PHILOSOPHORVM. ORDINE

CONSENTIENTE

PVBLICO. ERVDITORVM. EXAMINI

EXPONIT

M. GODOFREDVS. THOMAS. Ludwig

LIPS.

RESPONDENTE

JOHANNE. CAROLO. Kolbe

VRATISL. SILES.

4

LIPSIAE. D. II. SEPTEMBR. ANNO. M DCC XXIV.

EX. OFFICINA. IMMANVELIS. TITII.

23.

Digitized by Google

VIRO

ILLVSTRI. CONSVLTISSIMO. PRAENOBILISSIMO. ATQVE. AMPLISSIMO

DOMINO

JOANNI. BVRCHARDO MENCKENIO

HAEREDITARIO. IN. GOERNITZ

JCTO

SACRAE. REGIAE. POLONICAE MAJESTATIS. ET. ELECTORIS. SAXONIAE CONSILIARIO. AVLICO

ATQVE

HISTORIOGRAPHO

ACADEMIAE. LIPSIENSIS. HISTORIARVM PROFESSORI. PVBLICO. ORDINARIO

COLLEGII. MAJORIS. PRINCIPVM. COLLEGIATO

NEC. NON

SOCIETATIS. BRITANNICAE. SOCIO

DE. HIS. OFFICIIS

VT. ET

DE. VNIVERSA. REPVBLICA. LITERARIA

IMMORTALITER MERITO

Digitized by Google

PATRONO. ET. PRAECEPTORI

SVO. OMNI. HONORIS. CVLTV

AD. CINERES. VSQVE

DEVENERANDO

HAS. PRIMITIAS. ACADEMICAS

QVAS. EX. ORE. EJVS. FACVNDISSIMO

ET

BIBLIOTHECA. INSTRVCTISSIMA

ACCEPIT

EA. QVA. DECET. OBSERVANTIA

ATQVE

GRATA. MENTE

REDDIT

CELEBERRIMI. EJVS. NOMINIS

Cultor

GODOFREDVS. THOMAS. Ludwig

Digitized by Google

Q. D. B. V.

SAxones,qui proximi ad Septentrionem Francorum vicini erant, Caroli M. tempore dividebantur (a) in *Weſtfalaos, Oſterlingos,* & *Angarios; Weſtfali* verſus Occidentem degebant, ita ut eorum terminus non longe ab amne Rheno diſtaret. *Oſterlingi,* qui etiam *Oſtvali,* (b) & *Oſterliudi* (c) vocabantur, verſus Orientem domicilia ſua habentes, Sclavis contermini erant. *Angarii* autem ſedem incolebant mediam. Hæc gens fortis, ferox, bellis & libertati maxime adſueta nunquam ante Carolum M. ſub unius Regis imperio ſteterat, tot bene duces, quot pagos habens (d) ex qui-

(a) POETA ANONYVMS SAXO *in Vita Caroli M. ad an.* 772. Confer. CAPITVLARE CAROLI M. *Aquiſgrani anno* 797. *conſtitutum*, quod extat in MONVMENTIS PADERBORNENSIBVS *p.*333. *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCXCVII. - - regnante Domno Carolo præcellentiſſimo Rege convenientibus in unum Aquis Palatio in ejus obſequio venerabilibus epiſcopis & abbatibus, ſeu illuſtribus viris comitibus V. Kal. Novembr. ſimulque congregatis Saxonibus de diverſis pagis tam de Weſtfalabis & Angrariis, quam de Ooſtfalabis, omnes unanimiter conſenſerunt, & aptificaverunt, ut de illis capitulis, pro quibus Franci, ſi regis bannum tranſgreſſi ſunt, ſolidos LX. componunt, ſimiliter Saxones ſolvent, ſi alicubi contra ipſos bannos fecerint.*

(b) POETA ANONYMVS SAXO *ad annum* 772.

(c) LEIBNITIVS *in Sciptoribus Rerum Brunſuicenſium T. I. in notis p.*121.

(d) POETA ANONYMVS SAXO *ad ann.* 772.

Quæ nec Rege fuit ſaltim ſociata ſub uno,
Ut ſe militiæ pariter defenderet uſu,

Sed

quibus oriente bello ſorte eligebatur is, quem omnes ſequi, & cujus imperio omnes parere tenebantur, potentia autem & imperium in reliquos, finito bello, deſinebat, ut *Venerabilis* BEDA teſtatur. (c)

§. II. Sicuti autem Carolus M. primo quidem Francorum Rex, poſtea vero etiam Romanorum Imperator, finitimis populis aliis, ex nimia regni ampliandi cupiditate, bellum inferre conſueverat, ita & contra hunc populum bellum movebat; cujus, cum ampliſſima eſſet regio, ejus acceſſu non vili portione Francorum regnum augeri poſſe intelligebat. Sed ubi ſe ſine præſcitu Francorum cum iis prœlio contendere non poſſe, nec ſibi conceſſum eſſe bellum ejuſmodi, quod Franciam in maximam calamitatem præcipitare & cauſa interitus tot civitatum, imo & totius populi eſſe poterat, ſine Procerum Franciæ conſenſu incipere, animadvertebat, eos anno 772. (a) Wormatiam convocabat, in quo concilio, ut eo magis eorum approbationem ſibi acquireret, varias rationes afferebat, quibus illos in bellum animare, & belli juſtitiam demonſtrare annitebatur, quarum potiſſima erat religio. Nam non fugiebat eum, hominum animos non citius ad conſentiendum duci, quam ſi bellum, quod ſuſcipiendum eſſet, pro religioſo venditaretur; allegabat itaque Saxones adhuc gentiles tantum idola ſua adorare, verum Deum plane negligere, ſibi ergo & omnibus Francis, tanquam Chriſtianis incumbere, omnes, quos poſſent, infideles & hos inter etiam Saxones ad Chriſtum convertere, & ſi perſuaſionibus locum dare

Sed variis diviſa modis plebs omnis habebat
Quot pagos, tot pene duces - -

(c) Qui circa annum 701. claruit. *In hiſtoria Eccleſiaſtica gentis Anglorum* Lib. V. cap. XI. *Antiqui Saxones Regem non habent, ſed Satrapas plurimos ſuæ genti præpoſitos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter ſortes, & quemcunque ſors oſtenderit, hunc tempore belli ducem omnes ſequuntur, & huic obtemperant: peracto autem bello rurſum æqualis potentiæ omnes fiunt ſatrapæ.*

(a) *vid.* AVTOR ANONYMVS *Vita Karoli M. ad h. a. apud* DVCHESNE *in Scriptoribus Hiſtoriæ Francorum T. II. p. 51.* MONACHVS EGOLISMENSIS *in Vita Karoli M. p. 47.*

Digitized by Google

dare nollent, vi armata ad verum Deum colendum adigere. (b) Quæ ratio cum principiis Chriſtianæ Religionis adverſari videatur, num Carolo M. jus bellum vicinis inferendi dare potuerit, merito in dubium vocatur. Nam conſcientiæ Dominus ſolus Deus eſt, quam nullibi magiſtratui politico, multo minus peregrino principi ſubjecit; & Apoſtolus PAVLVS *II. Timoth. IV, 2.* dicit: *argue, obſecra omni patientia & doctrina*, non vero incendiis, cædibus & rapinis: nec alibi in Novo Teſtamento mandatum divinum ea de re habemus, quod potius nos adhortatur, ut zizania cum tritico uſque ad meſſem creſcere ſinamus. MATTH. *XIII, 29. 30.* Hinc etiam eſt, quod Chriſtus, cum Samaritani eum ſuſcipere nollent, diſcipulos, quod igne e cœlo evocato illos interfectos vellent, reprehenderet, perhibens, ſe non veniſſe ad perdendum genus humanum, ſed conſervandum LVC. *IX, 52. ſeqq.* & laudatus doctor gentium arma noſtra, quibus pagani tanquam Dei hoſtes a nobis impugnandi ſint, non carnalia, ſed ſpiritualia eſſe, *II. Cor. X, 4.* quæ in perſuadendo, remonſtrando & obſecrando conſiſtunt, oſtenderet. Alterum fundamentum, quo hujus belli juſtitiam edocere conabatur Carolus M. in eo conſiſtebat, quod Saxones in finitimos Francos cæde ſævirent, & eorum tectis, agris, & rebus exciſionem, inflammationem, everſionem, depopulationem vaſtitatemque continuo inferrent. (c) Sed nec hoc argumentum alicujus momenti eſt, cum enim Franci contra Saxonum fines devaſtarent, Saxones idem jus habuiſſe Francorum agros depopulandi,

(b) Ita enim EGINHARTVS *in Vita Caroli M. c. 7. Quia Saxones, ſicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, vel natura feroces, & cultui dæmonum dediti, noſtræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura vel polluere vel tranſgredi inhoneſtum arbitrabantur.* Et adhuc clarius POETA ANONYMVS SAXO *in Vita Caroli M. ad an. 775.*

Hinc ſtatuit, requies illis ut nulla daretur,
Donec gentili ritu cultuque relicto
Chriſticolæ fierent aut delerentur in ævum.

(c) *Vid.* EGINHARTVS *cit. l.*

landi, quod Franci in ſpoliandis Saxonum agris ſibi ſumſerunt, quis non intelligit. (d)

§. III. His tertiam addit cauſam *Celeb.* HAHNIVS (a) Saxones anno 758. Francis, a quibus victi fuerant, ſingulis annis trecentorum equorum tributum promiſiſſe, quod Carolo M. imperante denegare voluerint; quam ſententiam, ut confirmet, primo quidem ANNALES PITHOEANOS *ad an. 758.* allegat; *Pippinus Saxonibus tributum impoſuit, ut trecentos equos ſingulis annis ſibi ſolverent.* Deinde vero etiam ANNALES HILDESHEIMENSES: (b) *Pippinus Saxones bello ſuperat, equos CCC reddere in tributum promittunt, & reſtitutionem, quod injuſte abſtulerunt.* Quod & ANNALES FVLDENSES *atque* FRANCICI *ad an. 758.* ſtabiliunt. Quamvis vero de veritate hiſtoriæ, quod Saxones anno 758. tributum promittere coacti fuerint, dubitare non liceat, attamen tuto non colligitur, quod Carolus M. ob denegatum tributum anno 758. promiſſum, Saxonibus bellum intulerit; nec probat id locus HELMOLDI *in Chronico Sclavorum Lib. I. c.3. p.14.* a Celeberrimo HAHNIO adductus: *Saxones & Thuringi itemque cæteræ quæ juxta Rhenum ſunt, nationes ex antiquo Francis tributariæ leguntur: Quibus deinde a regno eorum deficientibus, Pippinus genitor Caroli bellum intulit, quod tamen filius majori felicitate peregit.* Quippe qui, cum circa annum 1165. claruerit, inter coævos ſcriptores non numerandus eſt, coævi autem ſcriptores, quantum ego quidem memini, hanc cauſam plane ignorant; nec credibile eſt, per tot an-

(d) POETA ANONYMVS SAXO *in Vita Caroli M. ad an. 772.*

- - quoniam Saxonum proxima Francis
Adjacet ad Boream tellus; vix limite certo
Diviſi gentis fines utriuſque cohærent.
Quæ dum vicinæ quo plus regione fuere,
Tanto ſejunctas animis diſcordia fecit:
Finitimos ſed enim per agros utrinque ſolebant.
Aſſidue fieri cædes, incendia, prædæ.

(a) In der vollſtändigen Einleitung zu der Teutſchen Staats- Reichs- und Kayſer-Hiſtorie *T. I. p. 31. §. 10.*

(b) qui extant apud DVCHESNE *T. III. p. 506.*

annos Saxones, alias feroces, ſub jugo Regum Francorum permanſiſſe. Quod & ipſe HELMOLDVS citato loco innuit, quando affirmat, Pippinum jam Saxonibus deficientibus & tributum denegantibus bellum intuliſſe. Probabile autem eſt, hoc bellum jam ante Pipini obitum finitum fuiſſe, alias Carolus M. anno 768. in Regem electus, non demum anno 772. ſed primo ſtatim Regiminis ſui anno illud continuaſſet.

§. IV. Poſtquam igitur Carolus M. Franciæ procerum conſenſum impetraverat, eodem anno 772. cum exercitu ſuo Saxoniam invadens caſtellum Eresburgum (a) expugnat (b) ibi fanum (c) Irminſula dictum (d) nec non lucum ejuſdem nomi-

(a) quod in Weſtphalia ad Dimolam amnem ſitum eſt, uti apparet ex MONVMENTIS PADERBORNENSIBVS p. 104. *Fuit igitur Ereſburgum in Saxonia veteri ſeu Weſtphalia, non tamen ad ripam Viſurgis, ut Ado Viennenſis antumat, neque ad fontem vel fluvium Lippiæ, ut Erneſtus Brotuſius Hiſt. Anhalt. Lib. 1. c. 14. Marcus Wagner in Vita Caroli M. & Joannes Lampadius in mellificio hiſtorico opinantur; nec etiam ad Ruram fluvium, ut Letznerus in hiſt. Caroli M. c. 21. adfirmat, nec ad arcem Driburgum diœceſis Paderbornenſis, ut vult Tilemannus Friſius in ſpeculo de monetis l. 3. c. 1. & 8. Nec ad Ambram ſeu Emmeram haud procul Luda oppido; id quod Piderit. in Chron. Lippienſi ſentit: Sed ad Dimolam, qui magnam Diœceſis Paderbornenſis partem emenſus, haud procul Heriſtallo Saxonico in Viſurgim effunditur; ubi etiamnumupereſt Præpoſitura a Ludovico Pio Monaſterio Corbejenſi donata. „Domnus Ludovicus Imperator Auguſtus Caroli M. filius tradi-„ dit monaſterio (Corbejenſi) locum Huxeri cum omnibus ſuis: Eresburg„ & Meppiam Abbatiolas, & cætera prædia in Aquilone. Juditha Impe-„ ratrix hæc a viro ſuo obtinuit &c.„* Vetus igitur hoc nomen adhuc anno 1229. in uſu fuit, donec ſucceſſu temporis in Latina lingua nomen *Montis Martis* acceperit, uti eadem *Monumenta* ex documentis p. 105--108. docent. Vulgo vocatur Stadberg. vid. *Ead.* p. 102.

(b) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

(c) vid. AVTOR ANONYMVS *Vitæ Karoli M. ad h. a. apud* DVCHESNE *T. II. p. 51.* MONACHVS HERVELDENSIS *ad h. a.*

(d) In hoc fano erat Idolum *Irminſul*, quod alias etiam *Erminſul, Irmindſul, Ermenſul, Ermenſil, Hermanſaul, Hermeſeul, Hermenſul, Adurmenſul, Armenſul* nominatur. Vnde vero hoc nomen acceperit, maxime dubium eſt. Crantzius in Saxonia Lib. II. c. 9. affirmat, quoſdam *Irmin-*

nominis, ut ANNALES LAVRISHAMENSES (e) referunt, diruit, omneque aurum & argentum, quo abundabant illis adimit. (f) Quod fanum ut penitus demoliri poſſet, tres dies ibi commorari conſtituit. Licet vero aquarum penuria adeo laborarent, ut verendum, ne omnia jumenta & omnis exercitus ſiti enecarentur, Chriſti tamen gratia, ut Annales habent, contra eam remedium attulit. Nam in meridie præter omnem ſpem & opinionem torrens ſalubres aquas ebulliens ſubito apparuiſſe dicitur, quibus & milites & jumenta amiſſas vires revocare poterant. Cujus aquæ tam diu fluxerunt, donec fanum deſtructum eſſet. (g) Sunt tamen qui hancce repentinam aquarum eruptionem miraculum fuiſſe, Deumque hic, ut eo melius Franci fanum deſtruere poſſint, aquas extraordinarie ex fontibus elicuiſſe, quamvis veteres ſcriptores nonnulli illud nobis perſuaſum eant, negare ſuſtinent; Nam REINERVS REINECCIVS *in notis ad Poetam Anonymum Saxonem* (h) conjicit, iſtum fontem eſſe Fontem Reſonum; (qui hodie Germanice der Bullerborn, Bulderbornn, Bolderbornn, & Bulterbornn dicitur) quem deſcribit, quod aqua ejus in montis radice prope vicum, ab accolis Oldenbecke appellatum, cum ſtrepitu erumpat, nec in eru-

Irminſuel quaſi Mercurii ſtatuam interpretari, cum Mercurium Germani ſub Herme coluerint, ipſe autem credit, hanc ſtatuam Idermanſuel, quaſi omnium commune profugium & aſylum dicendam eſſe. Spelmannus teſtante DVFRESNE in *Gloſſario*, ſub voce *Irminſul*, derivat ab *er*, pro Mars, *mun* pro mund, tutela, profugium & *ſul*, columna, ut fuerit *Ermunſul*, id eſt columna tutelaris ſeu profugii, ſed hujus diſſidii participes nos facere nolumus.

(e) In PETRI LAMBECCII *Bibliotheca Cæſarea Vindobon. Lib. II. p. 371. Karlus in Saxonia Æresburg expugnat fanum & locum eorum famoſum Irminſul ſubvertit.*

(f) vid. MONACHVS EGOLISMENSIS *in vita Karoli M. p.* 47.

(g) MONACHVS EGOLISMENSIS *in Vita Karoli M. p.* 47. ANNALES FRANCICI *ad h. a. apud* DVCHESNE *T. II. p.* 14.

(h) *ad annum* 772. ubi verba extant:

Vt mediante die ſubito per concava ſicci
Cujuſdam torrentis, erat qui proximus illis,
Sufficiens exercitui prorumperet unda.

eruptione certas horas obſervet, ſed pro aëris conſtitutione variet. Refert porro eam ſicca tempeſtate non adeo frequenter, ſed per diem naturaliter unica vice ſcaturire, tempeſtate autem imbribus fœda crebrius & ſingulis fere quatuor horis modo copioſius modo parcius promanare. In vere & autumno itidem hyeme pluvioſa abundantius fluere, æſtate autem ſicca aliquantum deficere. De cætero effluxionem etſi non ultra octavam horæ partem duret, tantas tamen aquas ejicere, ut rivi in vicinia manantes hinc inſignia incrementa capiant, & cum prope vicum Nienbecke dictum abſorbeantur aquæ, ad Lippiæ fontes redire, porro aquis abſorptis locum, per quem fluxerunt, gramine conſitum ita exſiccari, ut in hoc ipſo ſæpius Principes & nobiles viri convivia celebrare poſſint. (i) Quibus ex proprietatibus fontis colligunt, facile fieri potuiſſe, ut tunc temporis tempeſtate maxime ſicca (k) non adeo frequentes aquæ eruptiones fuerint, improviſa vero effluxio militem loci ignarum fontiſque naturam ignorantem in ſtuporem conjecerit. Quid de aquarum defectu ad caſtrum Eresburg ſentiendum ſit, dicere non ſuſtineo. Hoc quidem video, aquam ad hoc caſtrum, quod proxime ad Dimolam flumen ſitum fuit, vix deficere potuiſſe; nec credibile eſt, quod Franci victores a Saxonibus victis aqua prohibiti fuerint. Narrant nobis MONVMENTA PADERBORNENSIA (l) quod incolæ ex Majorum traditione referant, Dimolæ aquas a Saxonibus veneno infectas fuiſſe, ſed equum Caroli, cum Rex preces ad Deum fudiſſet, in montis declivi deſcenſu, quadrante circiter horæ ab Eresburgo ungula fontem aperuiſſe, cui hodienum Regii fontis ſit nomen & aqua perennis; ſed nec hoc tacentibus Scriptoribus coævis admitti poteſt. Cæterum Carolum in eodem loco, ubi Irminſula ſita fuit, templum exſtruxiſſe, quod Autor Vitæ Karo-

(i) vid. *Monumenta Paderbornenſia* FERDINANDI *L. B. de* FVRSTENBERG *Epiſcopi Paderbornenſis p. 243.*

(k) *teſte* POETA ANONYMO SAXONE *ad h. a.* (l) *p. 112. 113.*

Digitized by Google

Karoli M. MS. (m) in Monumentis Paderbornenſibus refert, in dubium vocare nolumus. Deſtructo igitur fano Carolus M. ad amnem Wiſuram ſive Viſurgim progreditur, ubi inita cum Saxonibus pace, & duodecim obſidibus ab iis receptis, in Franciam revertitur. (n)

§ V. Sed pax ea non fuit admodum diuturna, Saxonibus fidem, quam Francis dederant, jam ſequenti anno 773. violantibus. Nam cum Carolus in Italia contra Deſiderium Regem exercitum duxiſſet (a) Saxones cum magno exercitu in Haſſia (b) Francorum confinia depopulantes uſque ad caſtrum Buriaburgum, (c) ſive Buriburgum, quo multi Franci Saxonum adventum audientes, perterriti confugerant progrediuntur, hocque occupato ſimul omnia igni tradunt, Francos, qui paulo ante relicto Buriaburgo fuga ſibi conſulentes locum quendam Friedislariam ſive Frictislariam (d) dictum, ubi S. Bonifacius Martyr & Germanorum Apoſtolus de

(m) *Lib. 1. cap. 14.* Verba MS:i ſunt hæc: *Apud Fresburgum civitatem Saxoniæ, quam propter inhabitantium perfidiam, & indomabilem contumaciam deleverat, ſed tamen poſt caſum in majori ſplendore zelo pietatis reſtruxerat. Poſt everſionem idoli HERMENSVL ideſt STATVA HERMETIS ab incolis vocati, baſilicam imperialis munificentiæ & celſitudinis conſtruxit: ut quem locum cultura dæmonum ſordidaverat, Chriſtianæ religionis veneratio emundaret.*

(n) POETA ANONYMVS SAXO *ad h.a.* ANNALES FVLDENSES *ad h.a. apud* FREHERVM *in Rerum Germanic. Scriptoribus T. I. p. 5.* MONACHVS EGOLISMENSIS *p. 47.*

(a) ANNALES FRANCICI *ad h. a. apud* DVCHESNE *T. II. p. 14.* MONACHVS EGOLISMENSIS *p. 48.*

(b) ANNALES FVLDENSES *ad an. 773.*

(c) quæ ſi fides MICH. ANT. BAVDRANDO habenda prope Frideſlariam urbem Haſſiæ inferioris in monte Buriburgo ad Ederam fluvium in ipſo limine Comitatus Valdecenſis ſita eſt. vid. *Ej. Geographia T. I. p. 198.*

(d) Nunc *Fritzlar*, ſita eſt in colle quadam Haſſiæ ad Ederam fluvium a Caſſella in Auſtrum Marpurgum verſus quatuor, ut BAVDRANDVS *in Geographia T. I. p. 414.* affirmat, ſive tribus, ut Tromsdorff in der allerneueſten Beſchreibung von gantz Teutſchland, *p. 292.* indicat, milliaribus diſtans.

de Baſilica a ſe ſacrata prædixerat, futurum, ut nunquam igne pereat, petebant, e veſtigio perſequuntur, ignem eccleſiæ cathedrali ſubjiciunt, ſed quoniam igne, ut credebatur, conſumi non poterat, irrito conatu. (e) Hic etiam miraculoſam quandam hujus Baſilicæ protectionem a duobus Angelis in albis veſtibus apparentibus Saxoneſque fugantibus, factam nobis nonnulli Annales referunt, ſi non potius pro iſtius ævi genio comminiſcuntur. Subleſtæ fidei mihi vel ideo eſſe videntur, quod quibuſdam tantummodo Chriſtianis & quibuſdam paganis non vero omnibus angeli memorati apparuerint. Sed quicquid horum ſit, hoc ſane certum eſt, quod ſequenti anno 774. Carolus M. ſubjugatis in Italia hoſtibus in Germaniam redux ad civitatem Ingilenhaimum ſive Ingelheimum (f) ſubſiſtens inde quatuor ſcaras (g) in Saxoniam miſerit, quarum tres, & ſingulæ quidem ſeorſim cum Saxonibus manus conſeruerunt, quarta autem prœlia cum iis non miſcens, ſed in agros excurrens multis ſpoliis onuſta domum reverſa fuit. (h) Ex quibus apparet, ANNALES FRANCICOS (i) qui invaſionis a Saxonibus in Franciam factæ ad annum 773. nullam plane mentionem faciunt, quin potius perinde, ut ea quæ modo circa annum 774. geſta obſervavi, ad hunc ipſum annum referunt, ita explicandos eſſe, ut hujus incurſionis atque impetus Saxonum, quamvis is revera anno 773. factus fuerit, ideo tamen ad h. a. mentionem facere noluerint, quod crediderint, eum commodius tanquam cauſam cur Carolus M. ex Italia in Germaniam reverſus Ingelhaimo in Saxoniam copias ſuas miſerit, indicari

 poſſe.

(e) VITA KAROLI M. *ad h. a.* MONACHVS EGOLISMENSIS *p. 48.* ANNALES BERTINIANI *ad h. a.* ANNALES METENSES *ad h. a.*

(f) urbs Palatinatus inferioris prope Rhenum fluvium. BAVDRANDVS *in Geographia T. I. p. 515.*

(g) *Scaras* i. e. acies, cuneos, copias militares, uti explicat DVFRESNE *in Gloſſario T. III. p. 726.* ex HINCMARI *Epiſtola ad Diæceſis Rhemenſis Epiſcopos c. III. Bellatorum acies, quas vulgari ſermone Scaras vocamus.* Hinc Germanica vox eine Schaar.

(h) MONACHVS EGOLISMENSIS *p. 48.* VITA KAROLI M. *ad h. a.*

(i) *apud* DVCHESNE *T. II. p. 11.* exiſtentes.

poſſe. Sic certe fieri potuit, ut Annales Francici omnia ad annum 774. congererent, quæ alii jam recenſiti Scriptores in ſua tempora partiti diſtinctius memoraverunt.

§. VI. Anno 775. hyeme adhuc durante, cum Francorum proceribus in villam regiam (a) Cariſiacum (b) convocatis, inter alias res ſimul quoque de bello Saxonibus tertio inferendo, nec requie iis prius, donec aut verum Deum colerent, aut penitus delerentur, concedenda, deliberabat Carolus. Quo concilio diſſoluto properans ad villam Duriam (c) quorſum omnes proceres coire juſſerat, iterum Synodum habuit (d) inde Rhenum tranſgreſſus Saxoniam ferro & igne populatur, (e) caſtrum Sigisburgum occupat, Eresburgum autem, quod Saxones ne Francis præſidio eſſet, deſtruxerant. (f) ut a tergo tutus eſſet, reparat, munitque præſidiariis militibus ibi relictis (g) Hallucinatur igitur hic CRANZIVS (h) referens arces Sigisburgum & Eresburgum a Saxonibus ipſis iterum communitas fuiſſe, quas vero Carolus hoc anno

(a) Erant autem villæ regiæ ſive dominicæ, quæ regum erant propriæ ad diſtinctionem villarum vaſallorum. THEGANVS *de Ludovico Pio Imper. cap. 19. In tantum largus, ut antea nec in antiquis libris nec in modernis temporibus auditum eſt, ut villas regias, quæ erant ſui & avi & tritavi fidelibus ſuis tradidit eas poſſeſſiones ſempiternas, & præcepta conſtruxit, & annuli in impreſſione cum ſubſcriptione manu propria roboravit.* DVFRESNE *in Gloſſario T. III. p. 1332.*

(b) Eſt caſtrum Galliæ ad Iſaram fluvium, nunc vero vicus eſt & Quierzy nominatur. Fluvius autem Iſara, ad quem vicus adjacet, hodie Oeſia dicitur, ſi ſententiæ, quam BAVDRANDVS *in Geographia T. I. p. 231.* fovet, fides adhibenda eſt.

(c) urbs Galliæ ad Rhodanum fluvium ubi Iſaram recipit, uti affirmat idem BAVDRANDVS *in Geographia T. I. p. 348.*

(d) POETA ANONYMVS SAXO *in Vita Karoli M. ad h. a.*

(e) ANNALES FVLDENSES *ad h. a.*

(f) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.* ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.* VITA KAROLI M. *ad h. a.* MONACHVS EGOLISMENSIS *p. 45.*

(g) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.* FRAGMENTVM *Annalium Chronico Nibelungi ſubiectum ad h. a.*

(h) Lib. II. Saxoniæ c. 10.

anno expugnaverit. (i) Nam verum quidem eſt, quod e re Caroli fuerit Sigisburgum a ſe occupari (k) non autem Eresburgum, quod Saxones jam deſeruerant & deſtruxerant, quod ſupra allegati Scriptores fide digni affirmant. Tum caſtra ad Viſurgim & quidem ad montem & arcem *Brunisbergam*, quæ munitiſſima tunc temporis erat, movet. (l) Verum enim vero Saxones undiquaque concurrentes tranſitum ipſi denegare contendunt, quos aggreſſus Carolus M. primo congreſſu multis interfectis fugat: Pugna hac finita & flumine ſuperato Carolus copias ſuas dividit (m) quarum alteram partem, quæ ripas tueretur, ad Viſurgim relinquit; (n) alteram vero ad flumen Obacrum (o) in regione, quam Oſterlingi inhabitant, movet, ubi caſtris poſitis princeps quidam Oſterlingorum ſive Oſtvalorum Heſſus cum tota gente ſupplex occurrit, obſidibusque datis jurejurando regi fidelitatem promittit. His geſtis in pagum Bukki dictum redit; (p) qui num ſit Boëcke, ubi poſt Menulphus monaſterium conſtruxit, (q) an vero Buckenburgum arx ditionis Schaumburgicæ, LEIBNITIVS dubius hæret. (r) Eximit vero dubium Epiſcopus Paderbornenſis FERDINANDVS L. B. DE FVRSTENBERG antiquitatum patriarum peritiſſimus, qui in

 Monu-

(i) Verba ejus ſunt: *Inde vero majore apparatu ducens Rex in provinciam, Siburg & Eresburg arces iterum a Saxonibus communitas, denuo expugnavit, & in arcem Brunsberg, quæ omnium firmiſſima erat, ad Viſurgim fluvium duxit oppugnandam.*

(k) ANNALES FVLDENSES *ad h. a. Carlus Saxonum perfidiam ultus, omnes eorum regiones ferro & igni depopulatur. Siburgum caſtrum capit. Æresburgum reædificat.*

(l) MONVMENTA PADERBORNENSIA *p. 125.*

(m) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*

(n) VITA KAROLI M. *ad h. a.*

(o) hodie Dacker dictum, flumen eſt Saxoniæ inferioris in Ducatu Luneburgenſi teſte, BAVDRANDO *in Geographia T. II. p. 40.*

(p) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

(q) ex mente LEIBNITII *in Obſerv. ſuis ad Poetam Anonym. Saxonem ad h. a. T. I. Rerum Brunſv. p. 124.*

(r) loco allegato.

Monumentis Paderbornenſibus (s) luculenter oſtendit, hunc locum Bukki alias etiam Bocam vocatum, in ripis Luppiæ ſitum eſſe, atque arcem, vicum & præfecturam hujus nominis adhuc ſupereſſe; Cæterum LEIBNITIVS, cum Bocam ſive Bœcke ita deſcribat, quod monaſterium ibi a S. Menulpho conſtructum floreat, videtur hunc locum cum Bodeca ſive Bodicken prope Wevelsburgum confundere. Hic enim S. Menulphus nobilibus parentibus exortus, poſt Archidiaconus Eccleſiæ Paderbornenſis creatus, de bonis paternis monaſterium monialium ſeu Canonicarum Regularium fundavit, & dotavit, quod cum ex Gobelino Perſona, tum ex antiquis literarum Bodecenſium monumentis probant *Monumenta Paderbornenſia.* (t) In pago hoc Bocenſi dum degit Carolus, & ex voto omnia agit, ſiquidem & Angarii cum Brunone duce ſuo reliquiſque optimatibus advenientes obſidibus datis jurabant, ſe Carolo perpetuo fideles futuros. (u) Interea altera Francorum exercitus pars adhuc in caſtris ad locum Hlidbecki dictum prope Viſurgis ripas poſitis commorans, adverſam fortunam experitur, nihil enim mali metuens, imo perſuaſa, ſe ſua præſentia omnibus terrori eſſe, inopinato a Saxonibus circumcingitur, parumque abfuit, quin ad internecionem uſque cæderetur. Saxones enim occidente Sole ſe iis, qui pabulatum e caſtris egreſſi erant, immiſcentes ſancte affirmant, ſe eorum ſocios futuros eſſe; quod ut eo magis iis perſuaderetur, ſimul cum iis in Francorum caſtra fœnum portant; Simulac intromiſſi in caſtra fuerunt, nocte ſomno ſopitos quoſcunque obvios Francos trucidant, & niſi tandem quidam illorum expergefacti ſumtis armis obſtitiſſent, de univerſis copiis actum fuiſſet. In quibus anguſtiis cum Franci cum Saxonibus pactum feciſſent, Saxones caſtris deſertis ad ſua redeunt. (x) Quale autem pactum inierint, invenire mihi non licuit; videntur tamen

(s) *p. 140. ſeqq.* (t) *p. 220. ſeqq.*
(u) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.* ANNALES METENSES *ad h. a.*
(x) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

Digitized by Google

tamen non adeo commodæ ex parte Francorum fuiſſe conditiones. Quid igitur Carolus? Saxones, quam primum fama de eorum invaſione ad aures ejus delata fuit, perſequitur, multoſque interceptos interficit. Hinc in Weſtvaliam pervenit, ex qua multis occiſis (y) & obſidibus receptis cum magna præda domum revertitur. (z)

§. VII. Anno 776. Saxones iterato fidem fallentes, obſidibus ſuis deſertis, caſtrum Eresburgum obſidione cingunt & occupant, Francis tamen ad iniqua pacta prius coactis, ut illæſi e caſtro ad ſuos in Franciam eant, permiſerunt. Affirmat quidem CHRONICON MONASTERII S. GALLI (a) Francos cum Saxonibus hoc anno non congreſſos eſſe, ſed inſignem in eo commiſiſſe errorem opinor, cum tot Annales, tot Chronica de prœliis hoc anno factis loquantur. (b) Eresburgo itaque capto muros & opera Saxones deſtruunt (c) ne hoſtes, ſi redeant, locum inveniant, in quo tuti latere poſſint, tum Sigisburgum petunt, cujus vero munimenta, cum ad paciſcendum præſidia pellicere non poſſent, irati obſidione cingunt, petrarias ad obſidionem pertinentes parant, caſtroque admovent, ut quod aſtu non valerent, vi & virtute efficerent. Petrariæ autem ſive machinæ jaculatoriæ (d) quas adhibebant, plus ipſis quam obſeſſis nocuere, quibus cum expugnari munimenta non poſſent, clidas, hoc eſt crates ſive tabulas viminibus aut virgultis contextas (e) ſed Deo invito ad-

(y) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*
(z) ANNALES METENSES *ad h. a.* ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*
(a) ad h. a. verba ejus ſunt ſequentia: *Carolus Rex in Italiam interfecto Rothgauro, & praterea Magicampus ad Wormatia, & inde in Saxonia jam ſine bello.*
(b) v. g. ANNALES FRANCICI *ad h. a. apud* DVCHESNE *T. II. p. 8.* FRAGMENTVM ANNALIVM *Chronico Nibelungi ſubjectum ad h. a.* ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.* VITA KAROLI M. *ad h. a.* MONACHVS EGOLISMENSIS *p. 49.*
(c) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.* VITA KAROLI M. *ad h. a.*
(d) DVFRESNE *in Gloſſario T. III. p. 258.*
(e) *Id. T. I. p. 1016. 1017.*

adhibent, prodigio enim territi aufugerunt, mutua cæde ſe jugulantes. Nam qui in fuga retro reſpiciebant, in lanceas eorum, qui ante eos fugiebant retro porrectas cœci incurrebant. (f) Multos alios ſimulac ſugientes animadverterunt uſque ad Lippiam proſequentes Franci in ſuga interfecerunt. Quæ omnia ANNALES METENSES (g) ad obſidionem caſtri Eresburgi referunt, quod Francos ſtrenue contra Saxonum impetum protexiſſe affirmant; alii contra totidem verbis negant. Et ſane Caroli M. partibus in eo addicti eſſe videntur laudati Annales; nam præterquam, quod BERTINIANI ANNALES nec non ANNALES RERVM FRANCICARVM, VITA KAROLI M. MONACHVS EGOLISMENSIS & alii Scriptores clare indicent, Francos Eresburgi a Saxonibus incluſos pactum cum iis feriiſſe caſtrumque reliquiſſe, relatio Annalium Metenſium cum Saxonum fuga non convenit, nempe quod tunc primum oppugnaverint Sigisburgum, cum jam in fuga eſſent hoſtem a tergo habentes. Accedit ANNALES FVLDENSES (h) referre Eresburgum Saxonibus a Francis reſtitutum fuiſſe. Denique probabile non eſt, Carolum M. cum Saxones ſe ipſi ſubjicerent, Eresburgum reædificaſſe, uti quidem ipſi Annales Metenſes fatentur, niſi a Saxonibus deſtructum fuiſſet. Verior itaque relatio mihi videtur ea, quam Bertiniani Annales habent. Interea Carolus Rex Wormatiam venerat, quo nuncio de Saxonum geſtis accepto Synodum convocat, in qua Franciæ proceribus non minus quid hoſtes fecerint, exponit, quam quid agendum porro ſit deliberat. Decernitur, Saxones ex improviſo adoriendos eſſe; Quod cum fieret, Carolus Saxonibus, caſas & habitacula eorum invadens ingens damnum injicit, qui hac invaſione perterriti, undi-

qua-

(f) ANNALES BERTINIANI *ad h.a.* Prodigium autem in eo conſtitiſſe dicitur, quod multi & Chriſtiani & Pagani duo ſcuta rubra ſupra Sigisburgi Eccleſiam inter ſe pugnantia vidiſſent.

(g) *ad h.a.*

(h) *ad h.a. In Saxonia Æresburgum caſtrum Saxonibus redditum eſt, Sigiburgum ab eis obſeſſum, ſed non expugnatum.*

quaque ad Lippiæ fontes concurrunt (i) ſe ei ſubjiciunt, terram ſuam tradunt, & Chriſtianam religionem ſe amplexuros eſſe pollicentur. His geſtis Carolus Eresburgum denuo nec non & aliud caſtrum trans Lippiam exſtruit, atque munit, ubi multi Saxonum cum uxoribus & liberis advenientes paganiſmo damnato baptizantur (k) Regi obſidibus, quos & quot ipſe volebat, datis. Exſtructis igitur ſupra memoratis caſtris, & præſidiis in ea diſpoſitis, Carolus victor in Franciam redit. (l)

§. VIII. Rebus his geſtis Carolus de Saxonibus jam ſecurus, nec eos inpoſterum quicquam tentaturos eſſe credens, prima vice (a) anno 777. comitia Paderbrunnæ in Saxoniæ civitate indixit, quo una cum Francis Saxones etiam convocati omnes excepto Widekindo pauciſque aliis ejus ſociis, qui in Normanniam fugerant, convenerunt. Vbi ingente Saxonum multitudine ſacro baptiſmate lavata (b) qui ſimul omnes & ingenuitatem & bona ſua allodialia Francis oppignorant, nec unquam ab iis defecturos ſe, vel Chriſtianam religionem aſpernaturos eſſe, aſſeverant, Rex Carolus in Franciam revertitur. Sed haud multo poſt, anno ſcilicet 778. Witekindus, ad cujus aures pervenerat, Carolum in Hiſpania cum Saracenis bello implicitum eſſe, non prædandi, ſed mala ulciſcendi, Saxonumque libertatem reſtituendi animo, ubi hos ad fallendam fidem ſtimulaverat, ad caſtrum Duiam (c) venit, inde progreſſus uſque ad locum, ubi Moſella aquas ſuas in Rhenum exonerat, pergit. Hic in quoſcunque

(i) VITA KAROLI M. *ad h. a.*

(k) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.* FRAGMENTVM *Annalium Chronico Nibelungi ſubjectum ad h. a.*

(l) ANNALES RERVM FRANCICARVM *l. c.*

(a) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*

(b) FRAGMENTVM *Annalium Chronico Nibelungi ſubjectum ad h. a.* ANNALES LAVRISHAMENSES *p. 372.*

(c) forte eſt pagus, qui nunc *Duitz*, dicitur ad Rhenum fluvium ex adverſo Colonia Agrippinæ quaſi ejus ſuburbium in ditione Colonienſi & in ipſo limine Montenſis Ducatus. BAVDRANDVS *in Geographia T. I. p. 337.*

Digitized by Google

que obvios, nulla ætatis, ſexus aut conditionis ratione habita, ferro ſævit, agros vaſtat, tecta flammis tradit. (d) Quæ cum Carolo M. ex Hiſpania redeunti & in civitate Autiſſiodori (e) commoranti nunciata fuiſſent, legionem, quæ ſeſe iis objiceret, mittit, (f) quam vero Saxones non expectabant, ſed cædibus & incendiis ſatiati per Lingonem civitatem (g) jam reditum parabant. Francorum copiæ e veſtigio ſecutæ eos ad flumen Adarnach ſive Adranam (h) dictum ad Baddenfeldum aſſequuntur. (i) Saxones Francorum exercitum appropinquare conſpicientes aciem inſtruunt, quos vero Franci aggreſſi multis cæſis in fugam vertunt. (k) Supervenit & ipſe Carolus, qui fugato hoſte Natalem Domini Heriſtalli (l) celebravit. (m)

§. IX. Carolus habito rurſus concilio Duriæ Rhenum exercitu ſuperans ad Lippiam venit, Saxones progreſſibus ejus ſe oppoſituri Bucholtzium (a) uſque obviam ei pro-

(d) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

(e) nunc *Auxerre* urbs Galliæ ad Icauram *(l'Yonne)* fluvium in Burgundiæ Ducatu. BAVDRANDVS *in Geographia T. I. p. 130.*

(f) ANNALES METENSES *ad h. a.*

(g) nunc dicitur Lingen ſita in Weſtphalia in Comitatu Lingenſi prope fluvium Amaſiam. BAVDRANDVS *in Geographia T. I. p. 579.*

(h) nunc Eder dictum oritur in Haſſia ſuperiori & per Comitatum Valdecenſem fluens Valdecum rigat, porro Friſlariam urbem ditionis Moguntinæ, tandemque in Haſſia inferiori Fuldæ fluvio miſcetur. *Id. T. I. p. 14. 15.*

(i) POETA ANONYMVS SAXO *l. c.* ANNALES tamen BERTINIANI & METENSES ad *Libeſin* pugnam fuiſſe contendunt.

(k) CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII *ad h. a.* loco fluminis *Adarnach* aliud *Calerna* dictum nominat.

(l) locus ab exercitu Caroli M. ita dictus, & ſitus ubi Timella ſe in Viſurgim exonerat. ANNALES LAMBECIANI *ad an. 797. Et poſt aliquantas hebdomadas iterum intravit in Saxonia, & ibi habitavit ipſam hyemem, & fecit ſedem ſuam juxta locum ubi Timella fluit in Wiſaraha quem etiam Heriſtelli appellavit, eo quod ab exercitu ſuo fuerunt conſtructæ ipſæ manſiones ubi habitabant.*

(m) VITA KAROLI M. *ad h. a*

(a) oppidum Weſtfaliæ in ditione Epiſcopi Monaſterienſis ad amnem Aam in confinio Ducatus Cliviæ.

Digitized by Google

progreſſi, ſed ab eo in fugam dati omnia ſua loca munita ab omni præſidio vacua ipſi relinquunt. Franci victoria potiti in Weſtfaliam penetrant, omneſque paucis exceptis, qui trans Viſurgim fugerant, ſibi ſubjugant, quos vero ipſos etiam perſequens Rex ad locum Medofolli ſive Medofulli (b) occupat, obſidibus receptis, omnibusque juramentum fidelitatis præſtare juſſis in Franciam reverſus eſt. (c) Anno 780. Carolus M. in Saxoniæ caſtrum Eresburgum de regimine, religione & aliis rebus huc pertinentibus deliberaturus regreditur. Ibi omnes Saxones obſidibus oblatis ſe ei ſubmittunt. (d) Inde ad Lippiæ fontes pervenit, ubi Synodo habita, ad Albim quam CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII *Herlbam* & FRAGMENTVM *Annalium Chronico* NIBELVNGI *ſubjectum ad h. a. Heilbam* nominant, progreditur. In hoc itinere omnes Bardongavenſes & multi Nortleudorum (e) ad Albim ſedentium, Orahimi ſive Orhaimi ultra fluvium Obacrum baptizati ſunt. (f) Rex quoque per Saxoniam multos Epiſcopos, Presbyteros & Abbates, qui baptizarent, & verbum Dei prædicarent, conſtituebat. (g) Hinc ad eum locum, ubi Obacer fluvius in Albim fluit, profectus eſt, ubi varia de Saxonibus & Sclavis diſpoſuit, hiſque peractis in Franciam regreſſus eſt. (h)

§ X. Anno 782. cum ingenti exercitu Rhenum tranſiens in ea regione, ubi Colonia ſita eſt, ad Lippiæ fontes Synodum celebravit, quorſum omnes Saxones, excepto Widekindo, eorum Duce, convenerunt. Sigefridi quoque Regis Nortman-

(b) ut ANNALES METENSES & BERTINIANI hoc vocabulum pronunciant.
(c) VITA KAROLI M. *ad h. a.*
(d) FRAGMENTVM *Annalium Chronico Nibelungi ſubj. ad h. a.*
(e) Erant Saxones trans Albim habitantes, qui etiam alias Nordmanni vocantur. vid. *Jacob. Caroli* SPENERI *Notitia Germaniæ antiqua T. II. p.* 402.
(f) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*
(g) FRAGMENTVM *Annalium Chronico Nibelungi ſubj. l. c.*
(h) VITA KAROLI M. *l. c.*

Digitized by Google

mannorum Miſſi (a) ſive Legati Altdem & Hoſmundus (b) & Avari populi aderant, (c) quibus pacem, quam petebant, conceſſit. Hoc peracto concilio in Franciam revertitur. Interea Widekindus, qui ad Nordmannos confugerat, Saxonibus ad quos redierat, Autor fuit, ut fidem Francis datam irritam redderent. Sorabi enim, qui Venedi fuerunt, & tractus inter Albim & Salam flumina incolebant, (d) arma arripientes Saxonum atque Thuringorum terram populabantur; Carolus fama ea de re ad ſe allata exercitum contra eos mittebat, qui hoſtes a regni ſui finibus arceret. Huic exercitui tres Principes Palatinos Adalgiſum Camerarium ſuum, Gailonem ſtabuli Præfectum, & Vuoradum Duces dabat (e) juſſos, quando in Saxoniam venirent, Saxones ad auxilium contra Sclavos ſibi ferendum convocare. Quibus Principibus, cum in eo eſſent, ut in Saxoniam ducerent exercitum, Saxones ipſos defeciſſe nunciabatur. Illi vero nihilominus militum ſuorum numero freti, adverſus Saxones, quos facile a ſe vinci poſſe credebant, incauti progrediuntur. Simulac enim compererant, Widekindum ingenti exercitu ad pugnam ſe paraſſe, & juxta montem Suntal, qui ad Munderam ditionis Brunſvicenſis oppidum ſitus eſt, (f) caſtra poſuiſſe ilico illuc non ut ad pugnam, ſed ut ad prædam properant: Saxones contra acie inſtructa ipſi occurrentes, prælio protinus commiſſo, Francorum proceres Adalgiſum & Gailonem a Rege miſſos, ut & quatuor Comites (g) cum multis Nobilibus & innumera aliorum Francorum multitudine trucidant, paucis qui in montem proximum fugerunt, ſervatis. (h) Quæ cum Caro-

(a) quinam Miſſi fuerint, late explicat DVFRESNE *in Gloſſario T. II. p. 583. ſeqq.*

(b) ANNALES METENSES *ad h. a.*

(c) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*

(d) vid SPENERI *Notitia Germaniæ Antiquæ T. II. p. 379. & 389.*

(e) VITA KAROLI M. *ad h. a.* ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

(f) uti affirmat LEIBNITIVS *in notis ad Poëtam Saxonem p. 131.*

(g) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

(h) Hoc ANNALES BERTINIANI negant, referentes a Francis Saxones

Carolo nunciarentur, ſine mora copias ſuas colligens Saxones invadit; poſtquam vero usque ad locum ubi Alara & Viſurgis confluunt, pervenerat, (i) Saxonum primores, qui belli fortunam experiri renuebant, ei obviam venientes innocentiam ſuam docent. Rege in pugnæ auctorem inquirente omnes uno ore Widekindum nominant, qui vero pugna finita aufugiens Normannorum fidei ſe commiſerat. Sed ne & reliqui, qui prœlio Widekindi ſuaſu interfuere, impune hoc facinus ferrent, ira ſua in eos converſa, duo millia atque quingentos eorum uno die capite truncari jubet, quibus peractis ad villam Theodonem revertitur. (k)

§. XI. Anno 783. Saxones de novo a Francis deficientes ut Carolus M. ad Theotmallim usque copiis ſuis progrederetur, efficiunt; Quænam vero fuerit hæc Theotmallis, Scriptores inter ſe diſcrepant. JOANNES BOLLANDUS (a) affirmat, eam ſitam fuiſſe, ubi jam urbs & diœceſis Oſnabrugenſis ſita eſt. Mihi arridet ſententia, quæ in Monumentis

 Pader-

nes fugatos eſſe. Imo ANNALES FRANCICI affirmant, quod multos Saxones in Franciam duxerint Franci, ſed POETAE SAXONIS major hic autoritas videtur eſſe. Nam ſi a proceribus jam victi eſſent, cur Carolus ad vindicandam cladem rurſus in Saxoniam rediiſſet, quod ipſi diffiteri nequeunt.

(i) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

(k) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

(a) *in Notis ad Eginharti Vitam Caroli M. cap. 2.* quæ extant in ACTIS SS. *Menſis Januarii T. II. p. 880.* ad vocabulum *Oſneggi.* Verba ejus ſunt hæc: *alii Oſnich, alii Neggi, forte Oſwick, ut alibi Brunſwick &c. Significari videtur ea pars Weſtphaliæ ubi urbs & diœceſis Oſnabrugenſis. Et fuiſſe iſtic locum, quem Eginhartus hic Theotmelli, alii Thietmelle, Thiotmelli, Teotmala, Theotmallim, Theotmaldi, Teotmalli vocant, inde licet conjicere, quod eodem tractu ſit Melle oppidum idem Gerſmel ad Elſam amnem, qui mox Haſæ miſcetur: & alibi Dymelle fluvius, cui ad Warburgum oppidum Tuiſco ſive Tiotus, Tuitſche miſcetur. Eo commiſſo prælio, ut ex Annalibus Eginharti patet, recepit ſe Carolus Paderbornam: atque iterum eodem menſe cum iiſdem Saxonibus conflixit ad amnem Haſam, qui ſupra Oſnabrugum ortus ad Meppenam in Amaſiam influit.*

Digitized by Google

Paderbornenſibus defenditur (b) hunc eſſe locum, qui hodie Dethmold vocatur, & ab Epiſcopis Paderbornenſibus feudi nomine Comitibus Lippienſibus ſimul cum aliis oppidis & pagis conceſſus eſt. Nam jam anno milleſimo undecimo S. Henricus Rex hunc locum Epiſcopatui Paderbornenſi donavit, teſtante diplomate in Monumentis Paderbornenſibus adducto (c). Ad hunc igitur locum Saxones licet maſcule cum Francis pugnarent, ſuperiores tamen redire non poterant, Franci enim impetu in eos facto ingentem eorum numerum interfecerunt, reliquis fuga elabentibus. Hac victoria reportata ad Paderbronnam Saxones, qui ad flumen Haſam (d) diſperſi ſe collegerant, iterato adoritur, & cum hoc ipſo anno fortuna Saxones plane deſerere inciperet, iterato multos cædit reliquis fugatis. Quibus peractis Carolus ſuper Viſurgim fluvium in viſcera Saxoniæ penetrans usque ad Albim progreditur, abhinc vero in Franciam revertitur. (e)

Ne

(b) p. 40. ſeqq.

(c) pag. 46. verba hæc ſunt - - - *notum eſſe volumus. qualiter nos divini amoris inſtinctu. pro remedio animæ noſtræ ſeu parentum noſtrorum. nec non & tertii Ottonis. bonæ memoriæ imperatoris. dilectæque conjugis noſtræ. CUNIGUNDÆ. reginæ interventu. atque Meginwerc ſanctæ Padrebronnenſis eccleſiæ venerabilis epiſcopi rogatu. ſibi. ſuæque ſanctæ eccleſiæ a KAROLO MAGNO imperatore olim fundatæ. noſtris vero temporibus incendium paſſæ. in honore etiam ſanctæ Dei genitricis ſemperque virginis MARIÆ. & Sancti KILIANI. martyris. LIBORIIque confeſſoris dedicatæ. comitatum quem Hahold comes dum vixit tenuit. ſitum ſcilicet in locis. Haverga. Limga. THIATMALLI. Aga. Patherga. Trevereſga. Langaneka. Erpesfeld. Silbiki. Matfeld. Nihterga. Sinatfeld. Ballevan. prope Spriada. Gambiki. Geſſion. Seuuardeshuſun cum omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc noſtram legalem paginam &c. Datum IIII. Idus April. Indictione VIIII. Anno Dominicæ incarnationis milleſimo XImo. Anno vero Domini ſecundi Heinrici regnantis VIIII. &c.*

(d) qui & nunc ita vocatur, & in Monaſterienſi Epiſcopatu aquas ſuas ad urbem *Meppenam* in Amiſiam effundit. vid. Tromsdorff allerneueſte Beſchreibung von gantz Teutſchland p. 448

(e) ANNALES METENSES *ad h. a.* ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

Digitized by Google

Ne tamen, victoria Dei auxilio parta, ingratus erga eum videretur, in monte quodam, qui non procul Theotmalli ſitus eſt, eccleſiam ſive capellam ædificabat, nomen ſancti adjutorii Santhülffe, ipſi imponens. (f)

§. XII. Sed anno 784. Saxones cum aliqua parte Friſionum rurſus a Carolo deficiebant. (a) Qua perfidia motus, ut bellum hoc tandem ad finem perduceret, Rhenum trajicit, Weſtphaliæque pagis vaſtatis usque ad Lippiam progreditur, abhinc ad locum Uculbium ſive Huculinum prope Viſurgim ſitum copias ſuas ducit. (b) Sed nimia aquarum inundatione ulteriores in hac regione progreſſus impediente per Thuringiam orientalem in Oſtfaliam penetrat, Carolo Juniore filio ſuo cum una ſcara contra Weſtfalos miſſo (c) Ipſe per Thuringiam ad Albim & per Stangfordum Scaningium progreſſus, omnia loca, quæ Albis, Sala & alia vicina flumina alluunt, flamma & ferro vaſtat, (d) rediensque Wormatiam ſe confert; Interea Carolus Junior Saxones, quos in pago Dreini dicto ad bellum continuandum ſe parare didicerat, adortus in fugam vertit, multosque interficit. (e) Deinde ad patrem Wormatiam redit, qui inſtructa valida manu in Saxoniam, & quidem in caſtellum Skidrioburgum ſive Schidroburgum vocatum & ad Ambram fluvium in Comitatu Lippienſi inter Steinhemium & Ludam ſitum, (f) venit,

 Nata-

(f) uti affirmat CRANTZIVS *Lib. 2. Saxoniæ cap. 4.* & MONVMENTA PADERBORNENSIA *p. 43.*

(a) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

(b) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

(c) ANNALES RERVM FRANCICARVM *l. c.*

(d) *Iid. l. c.* VITA KAROLI M. *ad h. a.*

(e) ANNALES FVLDENSES *ad h. a.* POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

(f) nunc Schira ſive Schidra vetus. CHRONICON MINDENSE *p. 556.* ap. MEIBOMIVM affirmat, Carolum M. ibi fundaſſe Eccleſiam Cathedralem, *quæ tamen poſt per Brunonem & Tanquardum Saxones* in Ballersleve *ſuper Ericam tranſponitur: Et inde per Henricum primum* in Broſe *oppidum Northuringiæ. Et tandem per Ottonem M. anno Domini DCCCCLXVII. Magdeburgum transfertur.*

Natalique Domini celebrato ad Warnam, ubi in Viſurgim influit, procedit. Sed quia inſtante hyeme ulterius progredi non poterat, Eresburgi hybernavit. (g)

§ XIII. Anno 785. cum Eresburgi adhuc eſſet Carolus, præſidio in caſtro ejus relicto, hyberno tempore in adjacentes Saxonum agros excurrit, oppidis aliisque locis eorum incenſis incolas interficit, (a) & multis ſpoliis partis revertitur. Tum Eresburgum cultius exſtruebat, templum etiam in hoc caſtro ædificabat. (b) Finita vero hyeme menſe Majo (c) Paderbronnam Francorum proceres convocabat, quo Maicampo (d) ſive conventu habito ulterius in Saxoniam nemine obſiſtente penetrat. Et cum ad Saxoniæ pagum Berdangum ſive Bardengauium adveniſſet, comperit, Widekindum & Abbonem Saxonum proceres in Saxoniæ finibus juxta Danorum confinia commorari, ad quos quosdam Saxones, qui ipſis indicarent, Regem cum illis colloqui velle, peterentque ut quamprimum ad ſe venirent, ablegavit. Hi ſe venturos eſſe promittunt, ſi obſides quosdam, quo ſecuriores eſſent, mittere velit. Quam occaſionem Carolus utraque manu arripiens, obſides per Miſſum ſuum Amuluvinum tradit, perſuaſus, ſi cum iis verba facere daretur, fore, ut donis tum ad verum Dei cultum, tum ad obſequium iis pellectis, reliqui facili negotio vincantur. Widekindus & Abbo cum Regis Miſſo Amuluvino ad eum Attiniacum (e) accedunt (f), quos Rex benigne exceptos multis prœmiis (g) perſuaſionibusque indu-

(g) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

(a) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

(b) FRAGMENTVM *Annalium Chronico Nibelungi ſubjectum ad h. a.*

(c) ANNALES METENSES *ad h. a.*

(d) Antiquis temporibus conventus publicus vocabatur Campus Martius, quoniam in patenti campo & ſub dio Calendis Martii conveniebant Franci, poſtmodum ad diem Calendarum Maji a Pipino hic conventus relatus eſt, ſic enim ſimulac finitum erat concilium, ſtatim contra hoſtes exercitum ducere poterat. vid. DVFRESNE *in Gloſſario T. II. p. 729. 730.*

(e) nunc *Attigny* dicitur, oppidum Campaniæ provinciæ.

(f) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.* CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII *ad h. a.*

Digitized by Google

induxit, ut ſacro baptiſmate ſe lavari permitterent. (h) Interea Franci orientales (i) autore Comite Hardrado in necem Caroli M. conjurant, ferro aut alio modo eum e medio ſublaturi. Qua conjuratione detecta, ipſe conjuratorum quosdam oculis privavit, aliis in exilium ejectis. (k) Quo facto per aliquot annos Saxonia non ſolum Carolo M. ſubdita permanſit; ſed & multi Saxonum in exercitu contra Caroli hoſtes dimicabant.

§. XIV. Nam anno 787. cum Caroli M. copiis ultra Danubium in loco, qui Faringa dicitur, (a) Saxones adverſus Taſſilonem Bavariæ Ducem ſe conjungunt. (b) Anno etiam ſequente 788. in concilio, quod Rex Ingelheimum eo fine, ut de Taſſilonis Bavariæ Ducis pœna ageretur, coire juſſerat, Saxones ſimul adſunt. (c) Imo anno 789. ipſi ſimul cum Francis Carolo M. ut contra Wilzos exercitum duceret (d) autores fuerunt, qui deinde cum Francis & Saxonibus Rheno trajecto ad Albim usque progreſſus duos pontes exſtruit, unumque horum ex utraque parte caſtello ex aggere & lignis exſtructo munit, tum Wilzos ad fluvium Paræ aggreſſus ſub ditionem ſuam redegit, (e) eorum Rege Dragoido capto. (f) Anno 790 conventu Wormatiæ habito copias ſuas contra Hunnos (g)

&

(g) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.* FRAGM. *Annalium Chronico Nibel. ſubject. ad h. a.*

(h) CHRONICON HILDESHEIMENSE *ap.* DVCHESNE; *T. III. p. 507.* CHRONICON BREVE *apud* DVCHESNE *T. III. p. 128. ad h. a.* ANNALES LAVRISHAMENSES *p. 373.*

(i) ANNALES FVLDENSES *ad h. a.*

(k) POETA ANONYMVS SAXO *ad h. a.*

(a) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

(b) ANNALES METENSES *ad h. a.*

(c) VITA KAROLI M. *ad h. a.*

(d) ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

(e) ANNALES FRANCICI *ad h. a.*

(f) ANNALES METENSES *ad h. a.* MONACHVS HERVELDENSIS *ad h. a.* ANNALES LAVRISHAMENSES *p. 373.*

(g) FRAGMENTVM *Annal. Chronico Nibelungi ſubj. ad h. a.*

(h) CHRONICON MONASTERII S. GALLI *ad h. a.*

& Wandalos (h) miſiſſe legitur, quod vero CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII, ANNALES BERTINIANI, METENSES, RERUM FRANCICARUM & FULDENSES ad h. a. negant, unanimiter adfirmantes hoc anno omnia tranquilla fuiſſe. Enimvero anno ſequente 791 contra Avaros (i) expeditionem, cui Saxones, ut & quod paulo ante celebratum fuerat, concilio Ratisbonnenſi, interfuerunt, ſuſceptam fuiſſe extra dubium eſt. (k)

§. XV. Cum igitur ex voto omnia cederent Carolo, plane ſopitum videbatur bellum Saxonicum, nec Saxones ſubjugatos unquam lacertos moturos eſſe Franci opinabantur. Enimvero quod diu meditati atque moliti fuerant Saxones, priſtinæ libertatis, quam amiſerant, nondum immemores, tandem expediunt: anno igitur 792. æſtivo tempore rurſus jugum excutiunt. Cum enim Avaros vindicaturos ſeſe in libertatem comperiſſent, ad eos adhuc paganos, legatos ſuos mittunt, abjurataque Chriſtiana religione, Eccleſiis, quæ in finibus eorum exſtructæ erant, incenſis & vaſtatis, Epiſcopis & Presbyteris ſuis aliis inexilium ejectis, aliis pridie Non. Julii feria VI. occiſis (a) ad idolorum culturam ſe denuo convertunt, atque cum Avaris ſe conjungunt. (b) Quod etſi ad tempus breve Carolum fugit, tandem tamen anno ſequen-

(i) qui inter Sclavos orientales numerabantur. SPENERI *Notitia Germ. Antiquæ T. II. p. 391. in not.*

(k) VITA KAROLI M. *ad h. a.* & ANNALES RERVM FRANCICARVM *ad h. a.*

(a) CHRONICON BREVE *ad h. a. apud* DVCHESNE *T. III. p. 129.* Feriæ autem ſingulæ dies cujuslibet ſeptimanæ dicebantur, non quod Chriſtiani tunc temporis neceſſe habuerint quemlibet diem tanquam diem feſtum colere, & ab operibus & laboribus profanis ſe abſtinere, ſed a ſeptimana Paſchatis, quæ ab opere faciendo immunis erat, & in qua quælibet dies tanquam dies feriatus celebrabatur. Cum enim hebdomas hæc prima anni Eccleſiaſtici ſeptimana eſſet, evenit, ut omnes cujuslibet ſeptimanæ dies feriæ dicerentur. vid. DVFRESNE *in Gloſſario T. II. p. 378.*

(b) CHRONICON MOISSIACENSIS *Cœnobii ad h. a.* ANNALES FRANCICI *ad h. a.* ANNALES LAVRISHAMENSES *p. 373.*

Digitized by Google

quenti 793. cum Regenesburgo abnavigaret, & uſque ad foſſam magnam (c) ſive ut Annales loquuntur ad foſſatum magnum inter Alcmonam (d) & Radantiam (e) perveniret, nuncius ad eum veniens refert, Saxones pacem violaſſe, & ab eo defeciſſe; Quo audito per Radantiam in fluvio Mohin (f) ſive Mochin navali itinere pergens Herbipolim (g) venit, ibique Natalem Domini celebrat. (h) Anno 794. exinde Francofurtum uſque venerat, ubi Paſchate celebrato concilium convocatur in quo Feliciana hæreſis Chriſtum ſecundum humanam naturam filium Dei Patris adoptivum aſſerens, (i) tertia vice condemnatur. Tum exercitu ſuo in duas partes diviſo, quarum unam ipſe in Saxoniam ducebat, alteri vero filium ſuum Carolum præficiebat, ut una ſecum Saxoniam debellaret, bellum adverſus Saxones redintegratur; Carolus Junior igitur copias, ſimul ac has acceperat, per Coloniam ducebat. Saxones vero in campo Sinaisfeldo (k) pugnæ ſe accingunt, ſed cum viderent, ſe undiquaque ab hoſtibus circumcinctos eſſe, arma deponentes Carolo fidelitatem promittebant, (l) qui revertens ad Aquisgranum tertium quemque Saxonem in Franciam ſecum abduxit. (m)

§. XVI.

(c) quam Carolus ipſe effodi curaverat, nam ſibi propoſuerat ex Rheno per Mœnum, Radantiam atque Almonam ſive Alcmonam in Danubium foſſam ducere, ut ex Rheno in Danubium navigare poſſet. SPENERI *Notitia Germaniæ Antiquæ T. I. p. 57.*

(d) nunc dicitur Altmühl SPENERI *Notit. Germ. Antiq. T. I. p. 57.*

(e) nunc Rednitz vocatur & paulo infra Bambergam Mœno miſcetur. BAVDRANDVS *in Geographia T. II. p. 158.*

(f) qui ſine dubio Mœnus eſt, quippe ad quem Herbipolis ſita.

(g) civitas Epiſcopatus Herbipolitenſis ad Mœnum ſita.

(h) VITA KAROLI M. *ad h. a.*

(i) SAGITTARII *Introductio in Hiſtoriam Eccleſiaſticam p. 954.*

(k) nunc Sentfeld in Diœceſi Paderbornenſi inter Dimolam & Aliſonem fluvios ſitus.

(l) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*

(m) ANNALES LAVRISHAM. *p. 374.* ANNALES FVLDENSES *ad h. a. Saxones in Sinitfeldt congregati a Carolo ſubacti ſunt, & tertius ex eis homo translatus.*

§. XVI. Anno 795. cum Rex ad locum nomine Cuffinſtang in ſuburbio urbis Moguntiacenſis ſitum profectus, in conventu de rebus variis deliberaret, ecce Saxones rurſus defeciſſe nunciantur, juſſi etiam contra alios populos, cum quibus bellum gerere volebat, auxilium ferre renuebant. (a) Itaque denuo cum copiis ſuis Saxoniam ingreditur ad Albim penetrans. Quidam Saxonum pacem amantes, cum obviam ei euntes veniam petiiſſent, cum eo in gratiam redeunt. Pars alia eorum, qui circa Albiæ paludes & in Wihmuodingas habitabant, ſupplex facta pacem, quam orat, impetrat. Repetit igitur Carolus locum Bardanavil, ubi ad tempus reſederat, huc omnes, exceptis iis, qui trans Albim habitabant, ideoque quod Wizzin Abotridarum Regem & Caroli M. vaſallum interfecerant, Regem accedere non audebant, de gratia ejus deſperantes, ad eum accedebant, tantum obſidum numerum ipſi offerentes, quantum nunquam neque ipſe, neque parens, neque eum antecedentes Francorum Reges acceperant, pacem orantes, mandataque ſua ſe exequi velle promittentes, quibus Carolus fidem habens vitæ gratiam fecit. (b) Anno 796. Carolus Rex cum duobus filiis ſuis Carolo & Ludovico in Saxoniam intrat, quam peragrans, & circumiens omnia loca, ubi rebelles erant, incendit & vaſtat. (c) Cum vero filium tertium in Pannoniam miſiſſet (d) ex Saxonia cum magno captivorum virorum, mulierum & infantum numero, nec non ingenti præda in Franciam revertitur, & filium ſuum ex Pannonia redeuntem Aquisgrani expectans, lætus recipit. (e) Nec ſic quidem expeditionis in Saxonum terras finis fuit, anno enim 797. ad Oceanum usque omnibus paludibus & inviis locis ſuperatis venit, pagoque Wintmodi ſive Wihmuoti, quem Saxones muniverant, occupato, incendioque

(a) CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII *ad h. a.*
(b) ANNALES LAMBECIANI *ad h. a.*
(c) CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII *ad h. a.* ANNALES LAMBECIANI *ad h. a.*
(d) VITA KAROLI M. *ad h. a.*
(e) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*

Digitized by Google

que ejus munitionibus deſtructis (f) tum demum Hadeloæ ſive Adulohoc (loco ad Oceanum in Saxoniæ finibus ſito) univerſam Saxonum gentem in deditionem per obſides recipit, & in Franciam quidem revertitur, ſed medio menſis Novembris exercitum hiematum reducit Heriſtellum. Hic & Avarorum legatos audivit, & totum hyemale tempus ad varia in Saxonia ordinanda impendit. (g)

§. XVII. Anno 798. in ipſo Paſchatos tempore Nortliudi trans Albim habitantes, ſeditione commota, regios legatos, qui tunc ad jus dicendum ad eos miſſi erant (a) comprehendunt: quorum alios vita privant, alios autem in vincula conjiciunt, a Carolo M. redimendos, quos etiam præter eos, qui, quod adeo arcte non cuſtodiebantur, aufugerant, Carolus redimit. Qua perfidia concitatus Carolus collecto exercitu Hariſtalli Mindam (b) proficiſcitur, habitoque conſilio deſertores & fidei & religionis aggreſſurus totam Saxoniam inter Albim & Viſurgim populatur. Dum hæc fiebant, Nortliudi Sigcone Abotritarum Duce (c) cum Eboriſo Regis legato pugnant, ſed victi quatuor millia ſuorum amittunt, cæteris fuga ſibi conſulentibus. Hi deinde cum Rege de pace ineunda tractantes obſides illos, qui maxime perfidi credebantur, dare cogebantur. Quo facto Carolus domum redit. (d) Qui vero anno 799. copias ſuas Rhenum trajiciens, iterum in Saxoniam ducit, Paderbornæ caſtris poſitis. Inde copias dividens unam partem Carolo filio tradit, qua Sclavos laceſſeret, ſimul vero Saxones ex Nordliudis venientes reciperet; cum quibus Burdegavium profectus eſt. (e) Cum alte-

(f) CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII *ad h. a.* ANNALES LAMBECIANI *ad h. a.*

(g) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*

(a) ANNALES METENSES *ad h. a.*

(b) Germ. Minden dicta, urbs Weſtphaliæ, in qua Carolus M. anno 780. ſedem Epiſcopalem fundavit. CHRONICON MINDENSE *p. 554.*

(c) ſive *Tranſachone*, uti ANNALES METENSES *ad h. a.* ſcribunt.

(d) ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*

(e) ANNALES METENSES *ad h. a.*

altera vero parte Leonem Pontificem Paderbornæ ſummo cum honore excipit (f) Saxoniam etiam inter Epiſcopos & Presbyteros, ut verbum Dei ibi docerent, & Chriſtianam religionem in Saxonum animis conſervarent, diſtribuit. Magnam quoque partem Saxoniæ vaſallis ſuis dono dedit, ut bellis gerendis alacriores & capaciores haberet. Præterea exſtruebat templum Paderbornæ idque conſecrari curabat. His geſtis multos Saxones cum mulieribus & infantibus, quos per Franciam diſpergeret, ſecum ducens domum revertitur. (g) Quo facto Saxonia tot bellis defatigata per duos annos vires refovebat: anno enim demum 802. cum Imperator æſtatis tempore Arduennæ commoraretur, & venatibus operam dans comperiſſet trans Albianos Saxones denuo defeciſſe, illuc copias ſuas miſit, igne ferroque agros vaſtantes. (h)

§. XVIII. Tandem aliquando anno 803. Carolus M. Saltzum ſive Seltzum (a) profectus Saxonicum bellum plane compoſuit. Nam poſteaquam eo omnem Saxoniæ nobilitatem convocaverat, pacem cum eadem iniit. Ejus conditiones nobis refert POETA ANONYMVS SAXO *in Vita Karoli M. ad h. a.* Fuere autem ſequentes: *Primo* Saxones gentili cultui plane renunciare, & Chriſtianæ religioni in poſterum perpetuo addictos eſſe debere. *Secundo* Regi non licere ab iis ullum cenſum aut tributum exigere. (b) *Tertio* Saxones teneri præſulibus ſibi præfectis obedire, nec non Clero dogma-

(f) ANNALES BERTINIANI *l. c.*
(g) CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII *ad h. a.*
(h) ANNALES METENSES & BERTINIANI *ad h. a.*
(a) urbs ad fluvium Salam in Diœceſi Paderbornenſi ſita, uti conjiciunt MONVMENTA PADERBORNENSIA.
(b) ipſis tamen injunxit ut Clericis decimas darent: CAPITVLATIO *de partibus Saxoniæ. Capitul. XVI. in* MONVMENTIS PADERBORNENSIBVS *p. 331. Similiter ſecundum Dei mandatum præcipimus ut omnes decimam partem Subſtantiæ & laboris ſui Eccleſiis & Sacerdotibus donent tam nobiles quam ingenui, ſimiliter & liti, juxta quod Deus unicuique dederit Chriſtiano partem Deo reddant.*

Digitized by Google

dogmata ſacra explicanti penitus obedientiam præſtare; *Quarto* etiam ſe coram judicibus, quos Rex ipſis conſtituturus ſit, ſe ſiſtere; Regem contra *quinto* permiſſurum eſſe, ut perpetuo propriis legibus utantur; Tandem & quod *ſexto* paciſcebantur Francos & Saxones pro uno populo æſtimandos eſſe. (c) Cumque Saxones hanc pacem ſancte ſe ſervaturos eſſe jurejurando affirmaſſent, tandem hoc bellum penitus ſopitum eſt, niſi quod anno ſequenti 804. veſtigia quædam ferocitatis Saxonicæ comparuerint. Quæ ut Rex penitus aboleret, Rhenum tranſit, generalique conventu Francorum juxta Lippiæ fontes convocato, in Saxoniam ingreſſus Boldonſtati caſtra metatus eſt. Inde copiis ſuis per diverſas Saxoniæ partes miſſis tum ipſos Saxones, tum perfidos Wimodiæ populos, perfidiæ autores, cum familiis captos in Franciam captivos abductos per omnes regni ſui regiones diſperſit.

(c) inde etiam ad comitia convocabantur, quod jam anno 777. iis conceſſum fuit. VITA KAROLI M. ad an. 777. *Tunc domnus Karlus Synodum habuit & Concilium publicum ad Paderburnen. ubi Franci omnes & ex omni parte Saxones convenerunt.* Sicuti etiam conventui anno 788. habito interfuerunt. ANNALES RERVM FRANCICAR. ad an. 788. *Et de his omnibus comprobatus Franci & Bajoarii, Langobardi & Saxones vel omnes ex aliis provinciis, qui ad eandem Synodum congregati fuerunt, reminiſcentes priorum malorum ejus & quomodo domnum Pipinum Regem in exercitu derelinquens, & ibi, quod Theodiſca lingua Harislit dicitur, viſi ſunt judicaſſe eundem Taſſilonem ad mortem*, & anno 797. concilio Aquisgranenſi interfuere, uti ex CAPITVLARI *Saxonum* apud BALVZIVM *in Capitularibus Regum Francorum.* T. I. p. 275. apparet. *Anno - - - DCCXCVII. - - convenientibus in unum Aquis Palatio in ejus obſequio venerabilibus Epiſcopis & Abbatibus ſeu illuſtribus viris Comitibus V. Kalendas Novembr. ſimulque congregatis Saxonibus de diverſis pagis tam de Weſtſalabis, & Angrariis quam de Ooſtſalabis omnes unanimiter conſenſerunt.* Non tamen ipſis permiſſum erat particulares conventus, inter ſe convocare, quod in CAPITVLATIONE *de partibus Saxoniæ Capitul. 34.* apud BALVZIVM *T. I. p. 256.* ipſis prohibitum fuit: *Interdiximus ut omnes Saxones generaliter conventus publicos nec faciant, niſi forte Miſſus noſter de verbo noſtro eos congregare fecerit. Sed unuſquiſque Comes in ſuo miniſterio placita, & juſtitias faciat.*

ſit. (d) Quo facto bellum hoc, quod per tot annos duraverat, finitum eſt, nec unquam quam diu Carolus M. regnavit, recruduit. Imo ne hoc quidem anno Carolus fortitudine ſola Saxones omnino ſubdidiſſet, niſi ejus munificentia acceſſiſſet. (e)

(d) CHRONICON MOISSIACENSIS COENOBII *ad h. a.* ANNALES FVLDENSES *a. h. a.* CHRONICON BREVE *ad h. a.* apud DVCHESNE *T. III. p. 129.* CHRONICON HILDESHEIMENSE *apud eundem p. 508.* ANNALES BERTINIANI *ad h. a.*

(e) Ita enim POETA ANONYMVS SAXO *ad an. 803.*

Plus regis pietas & munificentia fecit
Quam terror. Nam ſe quiſquis commiſerat ejus
Egregiæ fidei ritus ſpernendo profanos,
Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis.
Copia pauperibus Saxonibus agnita primum
Tunc fuerat rerum, quas Gallia fert opulenta
Prædia præſtiterat, cum Rex compluribus illic
Ex quibus acciperent pretioſa tegmina veſtis
Argenti cumulos dulciſque fluenta Lyæi.
His ubi primores donis illexerat omnes
Subjecto ſibimet reliquos obtriverat armis.

Præcipue vero Widekindo & aliis, qui ante finitum hoc bellum Chriſtum profeſſi erant, in Francia bona dedit: CAPITVLARE *Karoli M. ſecundum de anno DCCCII. Cap. XI.* ap. BALVZ. *in Capitul. Regum Francorum T. I. p. 376. De illis Saxonibus, qui beneficia noſtra in Francia habent, quomodo aut qualiter habent condricta.* CAPITVLARE *Caroli M. incerti Anni cap. L. ap. eund. p. 518. 519. ut beneficia Saxonum in Francia conſiderentur qualiter condirecta ſint.*

COROLLARIA.

I. *Germani veteres non fuerunt latrones, quamvis a quibuſdam hujus criminis rei habeantur.*

II. *Male Germanorum Medii ævi duella a quibuſdam tanquam injuſta accuſantur.*

III. *Quod Saxones a Regibus Francorum victi & ab iis rurſus deficientes, rebellionem moverint, dici non poteſt.*

IV. *Reipublicæ noſtræ multum conduceret, ſi jus, quod de Servis olim conſtitutum fuit, hodiernis quoque temporibus in uſu eſſet.*

ERRATA pag. 1. lin. 13. leg. pene. in not. l. 1. leg. Anonymus. l. 13. leg. Scriptoribus. pag. 7. lin. 28 leg. ungula.

Digitized by Google